

ducere meruit in uxorem, et ceteris boronibus (!) suis oppidum idem ex utraque parte Eni obsedione cinxerunt. Erant autem inter obsessos precipui Woko de Rosenberch, Zmiel de Liechtenburch, Wichardus de Tierna, Schatzla de Fridlan, p. 275. Wilhalmus de Boidebrat, Ibis de Schechiten (oder Schechitun), Benis de Valchenstain, Burchardus de Chlingberch, Al. de Chunringen, Ul. pincerna de Elnpogen, Lentzo purgravius de Craetz, Ul. de Lobenstain, Ulricus de Capella, Ludwicus de Zelbing¹, Zmiel frater Botskonis de Lonul, Styborius dictus Caput, Ul. de Rosental, Hoier cognatus Wolkonis et Syghardus Piber, qui omnes una cum aliis obsessis per favorem et meditationem ducis L. nono die obsidionis acceptis ipsorum iuramentis et pactis, quae in confectis inde privilegiis continentur, secure dimissi per Pataviam ad propria revertuntur.

Quidam autem ex predictis circa festum beati Martini cum aliis consulibus regis Bohemie domno L. duci in Chamba obviam venientes ad meditationem ipsius et consilium domni H. ducis, in Straubing et Mitteruels medio tempore morantis, concordiam statuunt per privilegia utriusque partis firmissime roboratam. In hac plane concordia idem rex plane cessit ab impetitione iudicii spectantis ad Imberch et Scherding, restituens etiam domno duci castrum in Riede et Schutenhofen hofmarchiam cum suis pertinentiis, licet postmodum sicut priori occupatione ipsum offendere in eadem. — —

MCCLVIII. Ludwicus circa quadragesimam castrum p. 276. Lantschron, quod anno priori in opposito civitatis² Ratisponensis erexerat in monte, qui dicitur Geyersperch, et forti muro circumdederat, civibus emenda pecuniaria reconciliantis (!) destrui permisit³. — —

MCCLX. Otacher rex Bohemie habens adhuc racorem (!) in corde ad Belam regem Ungarie pro terra Styria, quam pulsus fuerat abnegare, eandem sibi resumpsit, Ungaris ab ea hinc violenter hinc fraudulenter expulsis.

MCCLXI. — — Eodem anno ex iussu H. ducis p. 277. Bawarie, cui tunc Otakerus rex Bohemie multa incommoda machinabatur, civitas Praunnawe infra novem dies undique novis⁴ pluteamini[bus] est circumsepta, propugnaculo superlocato et quoddam speciale castrum firmiter fuit aput ecclesiam veterem edificatum, in quo domnus H. de Ror residebat, qui huius operis fuit auctor, faciens omni con-

1) 'b' durch Correctur entstanden. 2) 'civitatem' cod. 3) 'promisit' cod. 4) 'novas' cod.